



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||  
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,  
Locis,|| Liber Vnvs.||**

**Thyraeus, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

**VD16 T 1247**

Cap. XCI. Qua ratione se à molestia liberare valeant, qui ob sua quæ  
commiserunt peccata persequentes patiuntur Spiritus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

locorum quidam quasi sunt Domini, & possessores. In his, *propter homines*, infestis, veluti hospites versantur; & ob id cum ipsis hominibus; quos persequuntur, sedes suas mutant; quas in prioribus illis retinent.

Itaque contingit, ut quamuis fortè hoc, vel illo loco proscribantur Spiritus *ijs rationibus*, quas superius, ad profligandos Dæmones valere diximus, atque *hoc vel illo* loco viuentes, qui eos ferre debent; tuti sint, & à molestia liberi, rursus tamen in easdem molestias incidant, quam primùm aliis locis quibus Spiritus proscripti non sunt, inueniuntur.

Omnino in posterioribus his locis propositum esse debet, ut Spiritibus non tam ad *loca*, quàm ad *homines*, quos persequuntur, accessus prohibeatur. Nec enim tam *loca* hinc, quàm *hominum* rationem habent Spiritus. Nec nobis igitur tam cogitandum, qua ratione *loca* reddamus tuta; quàm qua ratione, ne *hominibus*, quibuscunque etiam locis degant, detrimentum afferatur, cautum sit.

Porrò *vna* & simplex ratio hæc non est. Et quid mirum? *Vna* non est hominum, qui molestias Spirituum sustinent, conditio. Pro conditione hominum alia atque alia ratio instituenda videtur.

Quotuplex igitur est? Duplex omnino. Quia duo hominum sunt genera, qui persequentes Spiritus sustinent. Vnum *improborum*, qui ob peccata, in quibus degunt, hanc Spirituum sustinent carnificinam: alterum *proborum*, qui nullis suis meritis exigentibus pro Spirituum libidine, magno diuinæ prouidentiae cõsilio ipsorum insultibus expositi sunt. Alia hi, alia illi ratione iuuantur. & *qua* vtrique? Hoc sequentibus examinandum. si tamen id dixerimus prius, rationes quas hinc præscribimus, contra *malos* Dæmonum præcipuè Spiritus (qui maximè infesti esse solent) valere.

## CAP. XCI.

*Qua ratione à molestia Spirituum liberi esse possunt, qui propter peccata, quæ commiserunt, ipsorum infestationes sustinent.*

**H**acillima videtur illa esse ratio; qua, qui propter peccata Spirituum infestationes patiuntur, ab ipsorum se molestia vindictam expediunt se à peccatis, & de liberalitate sibi gratulentur. Si enim hoc solo nomine molestias Spiritus ferre necesse



neceſſe eſt, quia peccatis ſunt impliciti; nonne ſi à peccatorum laqueis ſe expediuerint, ſoluti erunt Spirituum moleſtias? & ceſſabit effectus ceſſante cauſa, à qua ille dependet?

2. Principio igitur omnino hi inducendi ſunt, vt à peccandi conſuetudine deſiſtant, vitamque in melius commutent: ſintque ſeduli in virtutum ſtudio, qui in cœno volutati ſunt vitiorum, quibus in miſeram ſeruitutem Spirituum peruenerunt.

3. Veruntamen ſatis hoc non eſt. Non ſufficit à peccandi conſuetudine deſiſtere ipſum etiam peccatum (quod in anima ſua quaſi ſedem habet) radicitus extirpandum eſt. Non enim infeſtantibus Spiritibus nos ſubiiciunt ipſa tantùm, dum perpetrantur, peccata; verùm etiam habitus, quos poſtquam perpetrata ſunt, in anima relinquunt: à quibus tam neceſſe eſt animam expurgari, quàm ab ipſa peccandi conſuetudine deſiſtere.

4. Hi iam requiritur, & valet dolor de peccatis perpetratis conceptus, vitæque in melius commutandæ propoſitum: & poſt hæc ſacramentalis Confèſſio atque abſolutio; quam ſolam ſecundam tabulam reſapiſ Deus voluit eſſe. Et priora illa quemadmodum neceſſaria ſunt; ita, poſteriora ſi deſint, fruſtra exſpectatur peccatorum venia; fruſtra à Dæmonum infeſtationibus libertas. Prætermittendum nullum, aſſumenda omnia, & ſingula.

5. Et hæc quidem omnia ad Spirituum horum moleſtias tollendas omnino ſunt neceſſaria. ſi ad ipſa accedat Corporis & Sanguinis Domini, in venerabili ſacramento perceptio, maior vis Spiritibus affertur: eoque liſſi illos iis videtur fieri ad homines accessus, quo pluribus maioribusque præſidiis iam ſunt armati. An fortè aut contra Dæmones arma non ſunt corporis & ſanguinis Chriſti ſacramenta? aut leuia ſunt?

6. Suaderem & horum ſacramentorum frequentioreſ uſum his, qui moleſtias Spirituum ob peccata expoſiti fuerunt, propterea, quod Nequam, quam fortiti ſunt ſemel, viuentes vexandi prouinciam, difficulter relinquunt: vt ob id neceſſarium videatur iisdem mortales armis ſæpius inſtrui; quibus maiori victoriæ ſpe contra hoſtes depugnatur. His rationibus contra infeſtantem Spiritum pugnavit infelix mulier, cuius ſequenti Capite mentionem faciemus.

7. Ad hæc, virtutum ſtadium poſtulare. Digniſſimum hoc; quoniam & nobis dictum illud à poſtoli, Rom 6 Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem; nunc exhibete



*habe membra vestra seruire iustitia in sanctificationem. Sed & virtutum studium vehementer exhorrescunt Dæmons. Credite mihi fratres, dicebat B. Antonius teste Athanasio in eius vita, pertimescit Salanas piorum vigilas, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, humilitatem, maximè autem ardentem amorem in Christum Dominum. Quid quod fortè hoc etiam sit necessarium? Cum immundus Spiritus exierit ab homine, inquit Dominus, Lucæ II. per amè ulat per loca inaquosa, quærens requiem. Et non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit scopis mundatam, & ornata. Tunc vadit, & assumit septem alios Spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi; & sunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Quid hac parabola Dominus? significat ex duobus Diabolum accipere causam, vt reuertatur in domum, vnde expulsus est: videlicet, si aut inueniat vacuam, aut scopis mundatam. Vacua est domus eorum, qui contenti tantùm sunt peccata deposuisse, & destudio virtutum solliciti non sunt. Scopis purgata eorum, qui exterius tantùm virtutem colunt, & radicitus peccata non extirpant.*

Hanc rationem contra Spiritus purgandi non frustra assumi, pluribus exemplis doceri posset: nos vno contenti sumus Catharinæ Virginis & Viduæ Suevicæ, filiæ S. Brigittæ. quæ cum Neapoliagens, à quadam muliere, quæ nocturnas molestias graues à Dæmonio patiebatur, interrogaretur, quibus rationibus se ab iisdem expedire posset: primum fualit puram peccatorum confessionem. aiebat enim *ob peccata in confessione celata plerunque id genus illusiones accidere. deinde peregrinationem ad S. Crucis templum; quæ nudis pedibus, & depositio lineo indusio, cum humilitate, cæto continuis diebus perageretur. tertio orationem dominicam atq; salutationem Angelicam, coram Crucifixi imagine in eodem templo septies repetitam. Complet mulier iussa, & vexatio cessat. Vide Surius Tomo 2. in eius vita, fol. 354.*

Probarem quoque vehementer; cum sanctorum omnium, tum præcipuè proprij Angelj, cui quisque ab ortu natiuitatis, commendatus est, inuocationem atque tutelam. Huius enim inter alia haud postremum hoc officium est, vt contra inferorum potestates mortalibus sit præsidio. Nec obstat quod, si naturæ vires attendas, quibusdam Dæmonibus hic sit inferior. quoniam quod natura negauit; gratia supplet: qua fit, vt omnibus omnino malis, etiam potentissimis, minimus inter bonos sit superior. quemadmodum alicubi post B. Augustinum docet S. Thomas.


Quòd si his machinis aduersaria potestas Dæmonum non frangitur, nec à molestando & infestando his rationibus prohibentur,



bentur, alijs armis tentandi essent; iisdem, quibus bonos & probos homines, qui eorundem insultus sustinent, vtiliter posse instrui confidimus. Et quæ illa? sequens Caput hæc explicabit.

CAP. XCII.

*Explicantur rationes, quibus à molestia & persecquentium Dæmonum infestatione, liberari possunt homines probi.*

1.  Via ignorant mortales, adione an amore dignisint, quamdiu in corpore à Deo peregrinantur; idcirco etiam iis, quos conscientia sceleris non arguit, si quando persecuentes Dæmones patiuntur, illis ante omnia rationibus vtendum existimarem, quibus diximus eos iuari, qui ob sua delicta Dæmonum carnificinam patiuntur. Neque enim nocet, si in peccatorū numero nos habeamus, quoniā *beatus homo, qui semper est pauidus*: nocet autē plurimū, si cū Pharisæo nos pro *iustis* vètitemus.
2. Addo quod, quamuis etiam esset probabile, nos in Dei esse gratia, & peccati mortalis nulla grauari mole; hæc arma assumi possent, quoniam non ob grauia solum, verū etiam ob leuia peccata, & persecuentes & obsidentes Dæmones aliquando sustinent viuentes. Docet hoc clarè de Dæmoniacis, à nobis data Disputatio: vt idcirco, quemadmodum necesse est impios sua peccata deponere, si à Dæmonum infestationibus volunt esse liberi; ita necesse sit iustos, suos veniales relinquere defectus, atq; naves, propter quos molestias Dæmonum sustinent.
3. Quemadmodum illis igitur, ita his à peccatis otium, Confessionis sacramentum, vsum venerabilis Eucharistiæ, virtutum studium, tutelaris Angeli inuocationem, atque alia his similia sedulo commendarem. *Quid si horum nihil iuuat? Ad alia præsidia confugiendum. quæ illa?*
4. Primum est *oratio communis Ecclesiæ*, hoc nomine instituta. valet illa à priuato quocunq; suscepta plurimum: quantum valeret ab vniuersa suscepta Ecclesiæ? & suscepta ex fraterna, quæ summo opere Deo placet, charitate? suscepta verò, pro homine, vt creditur iusto? & quem maxima necessitas, cum summa humilitate coniuncta, ad communes preces implorandas cogit?
5. Deinde est vsum *Rerū consecratarū*: in primis cereæ illius Imaginis quam *Agnus Dei* dicimus; quàm contra Dæmonū insultus valere & forma, qua consecratur, demonstrat, & his versibus confirmat *Andreas Frusius*:

*libe*